





FRIDERICI ULRICI PESTELII,

J. U. Doctoris, ejusdemque & Moralium Professoris Or-  
dinarii, h. t. Facultatis Juridicæ Decani,

PROGRAMMA

QUO

SUO ET TOTIUS ORDINIS JURIDICI NOMINE

*Ad Dissertationem Inauguralem*

DE

# EXHEREDATIONE LI- BERORUM JURE HAMBURGENSI,

Quam

Nobilissimus & Clarissimus J. U. Candidatus

DN. HENRICUS ROGGE, Rostochiensis.

Die 30. Aug. A. 1728.

IN AUDITORIO MAJORI

Publicæ disquisitioni subjicit,

MAGNIFICUM DN. RECTOREM, IL-  
LUSTRISSIMUM DN. COMITEM, PROCERES,  
UTRIUSQUE REIPUBLICÆ EXCELLENTISSIMOS,  
GENEROSSISSIMOS, NOBILISSIMOS, AC  
LECTISSIMOS ACADEMIÆ

CIVES


OFFICIOSE AC PERAMANTER INVITAT.

---

RINTELII, TYPIS JOH. GODEFR. ENAX, ACAD. TYPOGR.

9

1728/1.



uod aliquando & sapientibus & im-  
peritis, in summo honoris fastigio  
positis, & in privata sorte ætatem  
agentibus, adeo sanctum ac ve-  
nerabile videbatur juris Romani  
nomen, ut illud continuo septem  
seculorum studio, usu, experien-  
tiâ ab ejusmodi maximâ ex parte  
Prætoribus & Jctis confectum  
fuisse deprædicarent, qui, utut ipsi gentiles, & partim sub  
ethnicis Imperatoribus floruerint, tamen ceu boni Pbilosophi,  
meliores Theologi, optimi sua patria cives, efformare opus o-  
mnibus numeris absolutum potuerint, quo majus terris in  
civili vita dari non posset, quod abundaret pietatis regulis,  
quodque Spiritus Sanctus inspiraverit: Illud ipsum, uti  
omnium disciplinarum, studiorum, artium sunt vicissitudi-  
nes, & fatales periodi, alio tempore nonnullis cœpit sor-  
dere, ut supervacaneum, omni elegantia destitutum, a com-  
muni usu & vita si non alienum, tamen maxima ex parte  
tricis, salebris, ineptiis, subtilitatibus obstatum. Scripta *Valla*,  
*Politianus*, *Muretus*, *Aciati*, *Budai*, *Cujacii*, *Hotmani*, *Fabri*,  
*Stryki*, *Thomasi*, *Beyeri*, *Titii*, & *Kestneri* nostri, aliorumque  
summorum Jctorum, non solum emblemata *Tribonianus*, ac  
reliquos nævos atro notantium carbone, sed et de meliore  
ordine ac arte juris sollicitorum, veritatem dictorum abun-  
de satis comprobant. Sunt enim, qui ut perturbatae & am-  
biguae hujus jurisprudentiae discrimina tollerent, codices le-  
gum

gum abrogatarum ediderunt; jura novissima tradiderunt, n-  
sum modernum & forensem quæsilverunt, opiniones communes  
ad secessati sunt, utriusque juris collationem instituerunt, trut-  
nat ac ariadne a filia ostenderunt, & in conciliandis Romanorum  
legibus gnaviter fuerunt occupati. Quid? quod numerus co-  
rum, qui plagas & ulcera juris positivi panacea sua sanare ge-  
stunt, & quibus tamen sèpe non æque, uti prioribus sideribus  
jurisprudentiæ, de meliori luto fixit præcordia Titan, adeo  
in immensus crescat, ut sicuti *Hotmannus* in simili est omina-  
tus, præfigiat mens, fore, ut miseri juvenes dubii de jure cer-  
to, tanquam inter cœlum & terram suspensi hærent, si in ad-  
plicandis emplastris corruptæ jurisprudentiæ oleum & ope-  
ram perdere pergent tales, qui à limine saltem salutarunt  
eius adyta, & ita cruda ac immatura sua judicia protruden-  
tes in publicum, testentur suo exemplo, quam verum sit,  
vulgo quoq; dici solet: *summum in ignorantia est opinio scien-  
tie.* Uti enim in magna rerum ubertate, & bonorum for-  
tunæ abundantia, longe difficillimum est, leges tales repe-  
rire, quæ sint præsidia boni honesti, instrumenta virtutis,  
& vitæ tranquille, pie, feliciter, transigendæ pignora: ita  
rebus hoc modo se habentibus, mirum non est, hujus fari-  
næ scriptoribus videri multas leges non satis ad humanum  
modum latas, & ita comparatas, ut contra architectonicæ  
scientiæ, intelligo legislatoriam prudentiam, præcepta con-  
tineant onus a ratione & natura plane abhorrens, quæ ta-  
men trituræ forensi innutritis, magisque rerum gerenda-  
rum peritis ingenii non possunt non placere, calculumque  
mereti album. Certe duo sunt scopuli, ad quos quis fa-  
cile potest allidere: multique alliduntur, qui cane pejus &  
anguæ sunt vitandi. *Primus* est, si cum *Stratocle* legem ro-  
gemus, ut quicquid Principi placet, id in Deum pium, &  
inter homines iustum sit, vel etiam cum *Anaxarcho* pronun-  
ciemus, non ideo Regem velle, quia justum est, sed justum  
esse, quia Rex vult. Tale enim putidum commentum non-  
nisi servilis adulatio jaçat, rectis consiliis semper adversa,  
& se se insinuat demum animis Gallorum, quippe qui

justiciam majestati adfestrificem tradentes; sibi aliquis persuadere conantur, quicquid a Rege decernitur, id censendum esse jure factum. Aliis populis tum demum arridebit, quando summe perfecti imperantes non in idea erunt depicti, sed actu & ipso opere efformati, ac ad summum dignitatis fastigium admoti. Sit v. g. libido Caji *Caligulae* instar legis, contingatque, quod hic se effecturum esse ministabatur, ut nihil Jcti possint respondere, præter ejusmodi tyrannum, & ubivis deprehendentur lacrymis majora mala, coagulum consociationis civilis erit abruptum, summaque imis confusa, qualem tristem faciem rerum etiam prisca gens Quiritum tum temporis quam maxime deploravit. Alter hic est, quando omnes leges ad stateram rationis nostræ attemperare, easdemque actutum volumus fastidire, quoties hanc transilivisse videntur. Est quidem positivijuris sumnum principium, *salsus populi supra lex esto*, sed quid sit illud, quod eudæmoniam & felicitatem publicam tutatur, ac ad summum perducit fastigium, tantopere caligant privatorum animi, ut vel sapientiores cum *Neratio exclamationis in L. 20. de LZ.* non omnium, quæ a majoribus sunt constituta, ratio reddi potest. Harum enim rerum, quæ in se sunt arbitrariæ, solus ille potest determinare qualitatem moralem, penes quem τὸ κύριον est in republica, atque ut ille, seu statutor felicitatis publicæ in eadem constituit, ita quoque jus est in vita civili servandum. Secus qui rationes subducunt, videntur jure meritoque incurrire censuram *Grotii*, sequentem in modum de gradibus in matrimonio prohibitis differentis: causas certas ac naturales, cur talia conjugia, ita ut legibus aut moribus vetentur, illicita sint, qui voluerit assignare, experiri discribit, quam difficile sit, imo præstari nequeat. Nonne enim intelligendo faciunt, ut nihil intelligent, si mathematicam sciscitantur rationem, quare alia sit præscriptio dierum, alia mensium, alia annorum? quare donatio inter vivos quingentos demum solidos excedens sit invalida? quare civilis pudor dicat nefarium & incestum matrimonium usque ad tertium gradum consanguini-

guinitatis, & non progrediatur usque ad quartum gradum computationis canonice? quare ultra dimidium veri pretii se in vicem circumvenire demum iverit in vatum? quare jus repräsentationis in linea collateralı se non extendat ultra fratrū liberos? quare legitima non amplius ut olim, sit quarta bonorum, sed triens cœperit surrogari? Cer-  
te in hisce & sexcentis aliis exemplis fatendum est cum Plutarcho, de his, qui sero a Numine puniuntur: Eas leges, quæ ab hominibus ponuntur non ubique habere rationem eo-  
rum, quæ præcipiuntur, illustrem, imo quasdam videri o-  
mnino ridiculas. Quæ cum ita sint, ea circa modum tra-  
stanti jus civile semper sedit mens, & sic animum induxi  
meum, *Justinianum* legislatorem probe distinguendo a me-  
ro Doctore vel historiæ interprete multas difficultates posse  
superari. Si enim aliquid, certe illud libertas academica vel  
maxime postulare videtur, ut in rebus facti, & intellectui fa-  
cet præferentibus, ipsi nostris videamus oculis, nostræ ra-  
tionis dictamine utamur. Quando itaque *Justinianus* in L. 10.  
C. qui testam, fac. possunt, lequentem in modum ratiocinatur,  
surdum natura neminem esse, quin si super cerebrum ipsius  
quis loquatur, non audiat, indeque nihil tam prohibere, quo mi-  
nus omnia, quæ voluerit, agere, ac testamentum facere posset. Quan-  
do in L. 10. C. de non num. pec. ita differit: cum inter eum,  
qui factum adleverans, onus subit probationis, & negantem  
numerationem (cujus naturali ratione probatio nulla est) & ob-  
hoc ad petitorem ejus rei necessitatem transferentem, ma-  
gna sit differentia. Quando §. 2. f. de usufr. inter res, quæ  
us consumuntur, vestimenta refert, & in §. 25. f. de R. div.  
frumentum triturando ex spicis excussum, specificationi ad-  
scribit, ac in §. 36. ff. de legat. prædicat, veteres juris archi-  
tectos instar legati pœna damnasse sequentem dispositio-  
nem: heres meus si filiam suam in matrimonium Titio colloca-  
verit, vel ex diverso si non collocaverit, dato decem aureos Sejo,  
ettra ullum sacrilegii politici metum contendere ausim, ali-  
quid humani passum Imperatorem, eundemque hæc simi-  
liaque gloriosius jaclasse, quam verius. Quod assertum si  
non

70

non ex lacunis, centonibus; ac undique male cohærentibus  
opinionibus ad liquidum perducendum fore, præcipue jura  
variis mutationibus ac epochis reipubl. romanæ enata, de-  
inde correcta, postea sublata, vel etiam restituta accurate  
distinguenda censerem, atque ita confieri ultiro putarem,  
ut pleraque capita jurisprudentiæ, quæ minime gentium  
sunt instar imbris uno actu & ictu cœlitus delapsa, ex ve-  
ra stirpe exsurerent, proprio quasi spiritu animarentur,  
matureserentque. Cujus jurisprudentiæ historica utilitas  
ut in oculos incurrat, lubet ad quedam provocare exempla.  
Est perplexa, & in utramque partem propter L. 1. §. 10. 12.  
13. ff. d. extraordin. cognition. conjunctam cum L. 6. §. 2. de  
postul. & L. 7. mandati a DD. exagitata quæstio, an Advo-  
catus præter salaryum sibi aliquod palmarium, vel etiam  
quotam litis queat pacisci? de qua vix judicare ex vero li-  
cer, nisi dispositionem & varia fata legis Cincia sub incidem  
quis vocaverit. Oraverat enim A. U. C. 549. M. Cincius  
plebiscitum, cuius primum caput prohibebat, ne quis ob-  
causam orandam pecuniam donumve acciperet. Hæc ipsa  
sanctio sub Augusto, Claudio, Nerone, Trajano identidem li-  
mitata, variasque fraudes experta est, usque dum tandem  
invaluit, ut honoraria in fraudem prohibitiæ litis redemptio-  
nis adprobarentur L. 1. §. 10. & 12. d. extraord. cognit. Neque  
quisquam circa genuinum intellectum L. 18. C. de transacto  
ubi Impp. Diocletianus & Maximianus ita rescribunt, trans-  
gere vel pacisci de crimine capitali, excepto adulterio prohibitum  
non est, in aliis autem publicis criminibus, qua sanguinis pœ-  
nam non ingerunt, transigere non licet, citra falsi accusationem.  
Neque etiam circa L. 9. ad L. 7. fut. d. adult. ubi Alexander  
Severus, rescribit A. Proculo, castitati temporum meorum con-  
venit lege Julia de pudicitia damnatam in pœnis legitimis per-  
severare. Qui autem adulterii damnatam, si quoconque modo  
capitalem pœnam evaserit, sciens duxerit uxorem (vel reduxerit)  
eadem lege ex causa lenociniti punietur, hallucinari amplius  
poterit, historiam juris consulendo, nam hæc ipsum edoce-  
bit male a Diocletiano & Maximiano, ut & ab Alexandro Seve-  
re

ro adulterium inter ordinaria delicta capitalia referri, cum  
demum sub Constantino M. sacrilegi nupciarum fuerint gla-  
dio puniti v. L. 30. C. ad L. Jul. de adulter. & Nov. 134. C. 10.  
Quod si enim iremus inficias, adductos textus aliqua ex  
parte esse corruptos, perperamque ibi tradi, quod in adulterio,  
ceu capitali crimini, non sit ei ignoscendum, qui sanguinem  
suum qualiter voluit redemptum, hic perveritus  
ex Alexandri rescripto enasceretur sensus: mulierem esse de-  
capitandam, & si semel decapitata, eandem persistere, hoc  
est permanere debere in illa legitima poena. Quid autem  
hoc, nisi meram stultitiam, saperet? velle praecipere, ut  
mulier mortis poena affecta in ea perseveret, quasi ulla su-  
perf sit ratio dubitandi, posse eam semel occisam reviviscere,  
atque hoc facto ad vota transire secunda. Sed mitto hanc  
viam salebras juris ope historiae pervestigandi, & transeo ad  
ipsum vocum significationem, quippe quas enucleandas  
esse, nonsolum Antistius Labeo suo laudabili praeivit exem-  
plu; sed & Celsissimus hujus Ernestinæ fundator, ut quartus  
Professor juris, ea, qua par est diligentia Tit. ff. de V. S.  
interpretaretur, sapientissime voluit. Nec immerito. Quo-  
tusquisque enim est, qui ignoret? talem tantamque difficulta-  
tem in rudi ac scabro novissimorum J. Ctorum Græco-Lati-  
norum sermone fuisse deprehensam, ut vix Humanista,  
Purificati, Grammatici ab his ineptis Legistarum, Bartolistarum,  
Barbarorum veram vocum significationem amissam  
purgare, & Jurispr. suo nitor aliquia ex parte restituere  
potuerint. Imo grammaticam tanti facit in arte juris N. H.  
Gundlingius V. C. ut aliam ingredientes viam judicet dignos,  
qui in grammatica pistrinum denuo ablegentur, ac ad Vossii de  
arte grammatica libellos impallescant aliquamdiu. Etenim ve-  
niamus in rem praesentem, & aliquot textus proprius intue-  
amur, quibus hoc præcipue modo lux affundi potest. Caius  
in L. 31. de jurejur. inquit. Solent enim sepe judices in dubiis  
causis exacto jurejurando secundumeum judicare, qui juraverit.  
Ex quibus verbis DD. cogunt hanc, quam per totam Euro-  
pam esse praxi receptam gloriantur sententiam, videri &  
tum

de  
gra  
sol  
no  
nin  
der  
mu  
ste  
cur  
que  
pie  
em  
om  
mar  
te e  
cor  
qua  
lari  
vide  
que  
dec  
con  
non  
pub  
lent  
finie  
dene  
inte  
anti  
joari  
rent  
succ  
quid  
rigel  
plic  
civil  
Phoe

tum dubiam causam, ac jurijurando in item esse locum, si unus testis classicus, ac omni exceptione major pro aliquo deposuerit. Sed longe à vero eos abesse facile liquet, veram vocis significationem proprius intuentibus. Nihil enim aliud per *cansam dubiam* intellexerunt latini scriptores, quam si par utriusque probatio, tantaque ejus copia, ut judex mox in hanc, mox in aliam inclinet sententiam, adeoque nesciat, quo se vortat. Sed absit idem contingere, quando saltem unus testis à parte producitur. Hic ipse enim secundum L. 9. C. de testibus sanctionem à Constantino M. profetam, ne quidem audiendus est, etiam si praelata curiae honore præfulgeat. Propero ad alterum pulcherrimæ inspectionis exemplum petitum ex L. 61. de usufr. ibi: *adificium inchoatum fructuarium consummare non posse placet, etiam si eo loco aliter uti non possit.* Omnis ibi ambiguitas & æquivocatio, postpositis variorum correctionibus, vanisque conjecturis, in voce *adificium* latere videtur, qua in tuto collocata omnis scrupulus sponte elabetur. Significat autem omnes domus partes, forte *stabulum* domus jumentis aut carrucis comparatum, *balneum* usibus dominicis solitum vacare in intima domus parte, vel inter diætas amœnas. De tali itaque questione, an inchoatum a testatore possit consummari? Dicunt posse, cum fine, id est jure utendi fruendi concessio, omnia media, sine quibus uti frui non possumus, concessa videantur, prout L. 13. §. 6. de usufr. statutum legimus, ut si cui fundi ususfr. concessus, in quo ædificii extructio erat necessarium medium colligendi fructus, illud possit extrudi. Sed in casu d. L. 61. secus est pronuntiandum. Nam non ædificium in usumfructum concessum esse supponitur, sed *domus* ex multis ædificiis constans jure ususfr. concessa, sufficit igitur in dubio, & si nominativi aliud non est actum, aliquem domo uti posse, et si eo balneo similive ædificio uti nequeat. Absit saltem omnem sapientiae professionem in inania vocum litigia evanescere, ita ut quis a sensu grammatico nolit ascendere ad genuinum juris intellectum, adeoque perperam concludat, quia res mobilis, solum potest *poni* *se* *de*



de loco in locum transferri, & immobilis saltem in sensu  
grammatico est sita, seu certo loco adfixa, ergo illa quoque  
sola potest in sensu juris deponi, seu custodiri, & hæc sola,  
non vero res mobilis, in foro rei sitæ peti potest. Amice e-  
näm conjungi, non confundi debent ars grammatica & pru-  
dentialia civilis. Tandem eximendus est Icrupulus iste, qui  
multorum aures, animosque offendit, quasi hæc sit præpo-  
stera via artem æqui & boni tradendi, jus potius germani-  
cum primo ponendum esse loco, speculum utrumque, similia-  
que jura patria excolenda, & hanc regiam viam ad veræ sa-  
pientiæ masculæque jurisprudentiæ culturam ducentem esse  
emetiendam. Cum enim vel ipsi peregrini, hostiles, adeoque  
omni exceptione majores testes, id dare bonis moribus Ger-  
manorum debuerint, quod nulli mortalium armis aut fide an-  
te eos fuerint, nemoque illuc vitia riferit, aut corrumpere, aut  
corrumpi sæculum vocaverit præstare, patriæ jura potius  
quam peregrinas subtiles leges cupidæ legum juventuti insti-  
lari. Verum ut taceam, jus Romanum quale demum esse  
videatur, ut jus scriptum in judiciis semel receptum esse, adeo-  
que ad illius normam controversias inter partes vibrantes esse  
decidendas, nisi manifesta morum cum jure scripto adpareat  
contentio, excerptum illi ex moribus germaniæ, quod bonum,  
non dicunt, quod malum est. Vix potest beata illa dici res-  
publica, ubi tolerantia latrociniorum, & continuata temu-  
lentia vigint, primasque ferunt partes. Non potest modus  
finiendi litigia per ordaliam, vomeres, laminas, chirothecas ar-  
dentes, item per aquam, publico gentis judicio adprobatus,  
inter felicitatis civilis munimenta referri. Non possunt  
antiquæ germaniæ leges Salicæ, Ripuaricæ, Alemannicæ, Bo-  
jcaricæ, Saxonica, Longobardica utpote jejuna, male cohæ-  
rentes, obscuræ, & de paucis rebus, v. g. de servis, nuptiis  
successionibus, & præcipue de delictis, certi, sed adeo insulsi  
quid ponentes, ut ob homicidium quantumvis dolosum We-  
rigeldum multamve solvi, ob furtum autem capitale sup-  
plicium irrogari voluerint, omne ferire punctum prudentiæ  
civilis, & perfectam legum congeriem efformare. Sane  
Phoenix sui ævi Leibnitius rectius judicavit, quando frugem

vocavit Romanorum leges, glandes autem præsca Saxonum instituta, *Beustiusque* censuit jus Saxonum multis in casibus esse vere Saxeum, & nimis durum, ac *Wippo* conclusit, legem Saxonum esse crudelissimam: Interim largior ulro, si genius populi germanici ab institutis Romanorum adeo diversus deprehendatur, ut horum placita non magis illi queant applicari, quam Imperatoris Turcici constitutiones, potius patriæ quam peregrina esse excolenda instituta. Sic incensit *Fac. Cujacius*, præcipuus juris Quiritum vindex, dum cuilibet juri sua propria adsignavit principia, singulæque species accurate distinxit. Ne desit exemplum, provoco ad sponsalia; hæc enim licet *L. i. C. d. Sponsal.* *L. 2. C. de res pnd.* *L. 2. C. de inutil. stipulat.* *L. 71. §. 1. d condit.* & demonstrato *L. 134. de V. O.* nullam operentur actionem ex stipulatu pro iisdem servandis, poena quantumvis conventionali furing firmata, ob infinitam ab invicem recedendi, repudiaque ac divortia ineundi licentiam; germanos tamen in longe alias ivisse partes duobus illuſtribus exemplis confirmare lubet. *Wenceslaus Saxo* pactus est filio Rudolpho nuptias *Anne, Baltazaris Landgravii Thuringie* filiæ, addita poena 5000. *Schock* guter Böhmischer Groschen, constitutis simul fidejusoribus, hypotheca, & pacto obstagii. *Dicitus Balthasar* patus est similiter filio *Friderico* nuptias *Margaretha Hermannis* Landgravii Hassiae filiæ, sub poena 6000. florenorum. Sed plura de hoc argumento scribendi pruritum cohibet idem, qui occasionem adpellendi animum ad hoc programma exarandum mihi suggestit, *Nobilissimus ac Clarissimus J. U. Candidatus*

### HENRICUS ROGGE

cujus vitam ac natales præsentibus exponere publicis literis placuit. Vitales ipsi niti in auras licuit A. 1695. d. 6. Aug. in celebri omnium scientiarum, artium, ac mercium domicilio, quod est Rostochii. Si itaque inter felicitatis non postremas referendum est partes, non esse vervecum in patria, crassoque sub æere natum, quo circia magnus *Sam. Pufendorfius* merito erubuit se pago. *Fle* satum profiteri, præoptavitque à proxime adjacente urbe, se *Chemnicensem* adpellare, vel maxime prædicanda

5  
eanda est nostri Candidati sors, quod ab ineunte ætate op-  
portunam naætus fuerit occasionem, ad frugem & bonam  
mentem pervenienti. Siquidem pater ipsius *henricus Rogge*,  
mercator ac Hydraules ad St. Mariæ spectatissimus. Vir pro-  
bus, & nulli in arte fidibus canendi, musicosque concentus  
dirigendi secundus, ut & mater *Anna Elisabeth*, filia cele-  
berrimi ibidem mercatoris *Benzienen*, pia cumprimis, ho-  
nesta, omnibusque animi & corporis dotibus prædita scœni-  
na, omnes eo converterunt curas, cogitationesque, ut a te-  
neris assuenseret principiis christianismi ac honorum mo-  
rum. Hæc vero cum præmatura morte ipsi esset erepta,  
patuerit non multo post una cum noverca e vita dilcessis-  
set, in tutelam datus est noster Nobilissimo Dn. Gabr. Möller,  
tum temporis Senatori, hodie Consuli Rostochiensi æstima-  
tissimo, cuius in se merita, ea qua par est pietate, ac grata  
mente agnoscit, prædicatque. Hic itaque voluit, ut totus  
ab ore penderet. D. Petri Beckeri, tum istic Rectoris Scholæ,  
in præsens vero Professoris ac Sacerdotis ad St. Jacobi cla-  
rissimi, sub cujus fideli ac solida informatione tantum in  
studii humanitatis, ac artibus liberalibus profecit, ut in al-  
bum studiosorum in Academia patria jure meritoque referri  
potuerit. Quo facto non illotis manibus ad adytum jurispru-  
dentiae accedere, sed toto prius pectore Philoſophiæ, Duce  
Dn. Epino, Viro maximo reverendo, incumbere constituit,  
& hoc studiorum studio ex voto confecto, Themidi se de-  
mum mancipavit, ac interprete Viro juris peregrini & pa-  
triæ consultissimo, ipsi affinitatis vinculo quam arctissime  
copulato D. Matth. Stein Institut. Imperiales, pandectas, jus  
publicum & feudale excoluit, ac post fata istius Jcti con-  
summatissimi reliquas partes juris absolvit in Icholis, quas  
subinde aperuit amplissimus Dn. Job. Carmon, Serenissimi  
Ducis Megapolitani Confiliarius Ecclesiasticus, singulaque  
collegia repetiit, Candidato Vogel, practico ibidem celeber-  
timo, præeunte. Ne vero in patrio consenseret solo, sed  
& alibi instar apum colligeret tandem quod ex usu esset,  
placui ipsi excurrere Regiomontum, partim ad id ipsum  
loci celebritate, partim necessariorum invisendorum cupi-  
ditate

ditate allectus, per triennium ibi substituit, suamque industria ac rerum gerendarum, peritiam eo usque ordini juridico adprobavit, ut dignum judicaret, qui admireretur ad Dissertat. De criminum conscientia pro facultate legendi habitam sub Praesidio Excell. Dn. Stavinski: diutiusque ibidem fuisse moratus, nisi effectus juris armazia funestos ac fatales, formidare necesse habuisset. Literis propterea commendatiis instructus Gedanum properavit, ac identidem Varsoviam, Thuruniumque progressus est; ut variorum clientum vitam, spei, ac posteros defenderet, causasque forenses peroraret. Hoc vita modo crevit & res ac auctoritas ejus, & perpetuis auctibus augescere ceperisset; nisi tragica, & non satis ubivis terrarum deploranda facies Thuruniensem calamitatum, quibus varij implicabantur, tandemque consul Joh. Rijssenerus succubuit, ipsum, ut huic intima amicitia junctum, coegerisset fuga salutem quererere, Dantiscumque revisere. Dgressus inde Lubecam, post Hamburgum tendit, hocceque Emporio, quo vix germania potest dare opulentius, tantopere est delectatus, ut res suas constabilire, ac perpetuam illic fortunarum sedem figere decreverit. Quem in finem e re sua esse duxit, ut, cum dudum in cathedra & foro opere ipso fuerit testatus, quantos in arte boni & aequi fecerit progressus, etiam insignia virtutis promerita consequeretur. Accessit itaque ad ordinem nostrum, nomen suum inter juris Candidatos est profectus, ac consueta tentamina & examina subiit, in quibus talem se exhibuit, qualiter desideravimus. Ut vero publico specimine comprobaret, se legum nodos, juris que ænigmata solvere posse, spinosam ac tenebris plusquam cimmeriis involutam materiam, de exhereditatione liberorum Jure Statutario Hamb. in lucem produxit, exasciataque diligentia perpolivit, cui labori ego nec addere, nec demere quicquam, licet in multis dissentiam, volui. Quare Magnificum Dn. Rectorem, Illustrissimum Dn. Comitem Lippiacum, Proceres utriusque reipublica celeberrimos, generosissimos, Nobilissimos, ac lectissimos Ernestinae nostra cives, ea qua decet observantia, ac humanitate invito, velint sua exoptatissima praesentia actum hunc solennem reddere illustriorem. P. P. sub Facult.

Sigillo die 29. Aug. Anno 1728.

25252525

Rinteln, Diss., 1722-35

X 241 87 69



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



# FIDERICI ULRICI PESTELII,

U. Doctoris, ejusdemque & Moralium Professoris Ordinarii, h. t. Facultatis Juridicæ Decani,

PROGRAMMA

QUO

UO ET TOTIUS ORDINIS JURIDICI NOMINE

*Ad Dissertationem Inauguralem*

DE

# XHEREDATIONE LIBERORUM JURE HAMBURGENSI,

Quam

Nobilissimus & Clarissimus J. U. Candidatus

J. HENRICUS ROGGE, Rostochiensis.

Die 30. Aug. A. 1728.

IN AUDITORIO MAJORI

Publicæ disquisitioni subjicit,

AGNIFICUM DN. RECTOREM, ILLISTRASSIMUM DN. COMITEM, PROCERES TRIUSQUE REIPUBLICÆ EXCELLENTISSIMOS,  
GENEROSSISSIMOS, NOBILISSIMOS, AC LECTISSIMOS ACADEMIÆ  
CIVES  
OFFICIOSE AC PERAMANTER INVITAT.

RINTELII, TYPIS JOH. GODEFR. ENAX, ACAD. TYPOGR.